



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum, 1786

VD18 90119355

§. 38. Diversæ Clementis XII. Papæ decisiones & decreta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](#)

locum Corsis inauspicato fato successit
 Marchio de Mallebois, Vir longa mi-
 litia efferatus, & obstinatis parcere ne-
 scius. Hic ergo recenti milite auctus,
 obsequium, quod Corsi per inveteratam
 pertinaciam præstare renuebant, per
 obfirmatam armorum violentiam ex-
 torquere aggressus est, & post iteratas
 pugnas plerumque Gallis faustas Corsos
 ita concidit, ut Paulius & Ludovicus
 Giafferius & paulopost Ornanus (nobi-
 liora rebellium capita) cum multis Corsis
 sese submitterent, ex Insula tamen emi-
 grare jussi. Pariter Rivarolæ Comitis
 Soror, quæ Theodoro ficto Regi Con-
 jux erat destinata, Mallebosii jussu in
 Corsica custodiæ data fuit: alii vero
 pertinaciores a Gallis capti laqueo vitam
 finierunt.

Sæc. XVIII.
 A.C. 1739.

§. XXXVIII.

*Variæ Clementis XIII. Papæ deciſio-
 nes & decretæ.*

Quamvis Clemens XII. Pontifex ma-
 ximus, senio, laboribus, & mor-
 bis indeque viribus exhaustus ad mo-
 menta æternitatis viam ingredi vide-
 retur, miro tamen animi vigore, &
 Zelo Apostolico indies novis incremen-
 tis aucto Pastoralem suam sollicitudi-
 nem hoc item anno ad Ecclesiæ nego-
 tia

Sæc. XVIII. tia immote extendit, pluraque oppido
A. C. 1739. salutaria condidit decreta: Cum enim

plures Græci ex suis patriis Regionibus propter fidei Catholicæ caussam jam dudum profugi in Italiam venissent, & præcipue in Neapolis Regno domicilia fixissent, Clemens, ut supra meminimus, eis in Calabria Seminarium & Collegium, a suæ familiae nomine Corfinium dictum construi curavit, ut hujus Nationis Juvenes sacrationibus disciplinis instituti, sacrisque iniciati, cetera ad Divinum cultum, ad augendum Catholicæ fidei stabilimentum, & animarum salutem procurandam opportuna & necessaria munia obire valeant: Porro ex salutari hoc instituto tam uberes proventus, vivente adhuc Pontifice, progerminarunt, ut hi Alumni ob egregium in Philosophicis ac Theologicis scientiis prosectum Doctoratus lauream promererentur, quam tamen ibi deficiente hac Facultate assenti non poterant: Eapropter suppli- canti hujus Collegii Rectori suisque Successoribus Pontifex die decima quarta Februarii indulxit, ut illius Alumni & Convictores ad Doctoratus honores, prout in aliis Universitatibus consuevit, promoveri valeant.

Cum autem Romæ sicariorum ac latronum numerus adeo invalescere vide-

videretur, ut noctu vix ullus per urbem sine vitæ discrimine tutus incedere posset, hæcque immanitas ad viceniam plerumque occisorum capita mensili laniena grassando pertingeret, imo etiam Mense Martio in Hadrianæ molis fossa tria cadavera inflictis vulneribus foedata, & paulopost in Tiberi fluvio aliud corpus, quod Simonis Piroti natione Galli fuisse credebatur, multis plagis perfosum reperiatur, hinc Pontifex in fædissimæ hujus crudelitatis Auctores rigidissime inquire jussit, ac severissimum edictum contra nocturnos ejusmodi grassatores promulgavit. Præterea, cum non ita pridem Siciliæ Communitates S. Franciscum de Paula in Regni sui Patronum elegissent, hujusque electionis confirmationem per suos Deputatos Romæ a S. Congregatione efflagitarent; obtento autem hanc in rem decreto circa ipsius executionem Panormitani dubium moverent, eoquod jam dudum in specialem præfati Regni Patronam assumpta fuisset Beatissima Virgo sine labe concepta: hinc desuper supplices ad Papam dabant literas: Hic ergo die decima octava Martii declaravit, Eandem Beatissimam Virginem pro singulari Siciliæ Patrona esse colendam, ut majora Eidem semper a Christi fidelibus impendantur *Hist. Eccles. Tom. LXXVI.* Pp. ob-

Sæc. XVIII.

A.C. 1739.

Sæc. XVIII. obsequia; & religiosa populorum pie
A. C. 1730. tas præsentissimo perfruatur patrocino.

Postea Pontifex die decima quinta Aprilis Carmelitis Discalceatis Congregationis Hispanicæ inhibuit, ne ad alios Ordines (excepto Carthusianorum) transeant, vel pro transeundi licentia Romam, vel ad Apostolicos Hispanicæ Nuntios sine Superiorum Generalium consensu recurrent. Pariter annuente summo Pontifice Sacra Rituum Congregatio die secunda Januarii ad magis promovendum S. Andreæ Corsini cultum iisdem Carmelitis indulxit, ut in toto hoc Ordine bis in mense per quadragesimam Officium sub ritu semiduplici de eodem Santo diebus alias non impeditis recitare valent.

Insuper anno priori inter Episcopum Ferulensem, & hujus Civitatis Carmelitas Discalceatos levis oxorta erat controversia, cuius occasio erat hæc: Exstat ibidem Monasterium Virginum Discalceatarum ejusdem Ordinis, quod quia Episcopi jurisdictioni esset subiectum, hic Scapularia benedicebat; postquam vero hi Religioni in eadem Civitate Conventum erexerant, illius Prior in sui Conventus Ecclesia habito ad populum sermone declarabat, juxta Pontificum decreta neminem Scapula-

ria

ria gestantem indulgentiis frui, nec
Sæc. XVIII.
eas concessas esse, nisi ab ipfismet his A. C. 1739.
Religiosis hæc vestis benedicatur. Inde
offensus Episcopus hanc controversiam
a S. Congregatione Indulgentiarum de-
cidi petiit, quæ etiam die vigesima se-
cunda Maij hoc anno per speciale de-
cretum declaravit, nec spectare nec
spectasse ad Episcopum facultatem be-
nedicendi scapularia, & necesse esse,
ut ab Episcopo aggregati pro nova ag-
gregatione ad Ordinis Superiores re-
currant. Hoc idem Congregationis
decretem Pontifex die duodecima Ju-
nii auctoritate Apostolica confirmavit.
Idem etiam statutum fuit die duode-
cima Julii.

Cum Venerabilis Pater Angelus
de Paulis Carmelita ante novemdecim
annos Romæ mortuus, vitæ sanctitate
ac miraculis inclaresceret, Clemens
Papa audito S. Rituum Congregatio-
nis judicio ad preces Cardinalis Gu-
dagni die decima quarta Julii concessit,
ut ejusdem Venerabilis caussa pro Bea-
tificatione & Canonisatione introducta
promoveretur.

Pariter idem Pontifex die vigesima
Aprilis declaravit, quod lectio S. Scri-
pturæ ad consequendum Magisterii
gradum apud Augustinianos omniuo
necessaria sit. Die autem vigesima se-

Pp 2 cunda

Sæc. XVIII cunda Maij ad preces Philippi V. Hi-
A. C. 1739 spaniarum Regis Clemens statuit, ut
Ordo militaris B. Virginis de Monte a
 post abrogatum Arragoniæ Senatum,
 deinceps Ordinum Consilio uniatur, ei-
 demque subsit. Cum vero jam aliquot
 abhinc annis Melchitæ Monachi Græci
 ex Congregatione S. Joannis Baptiste
 Soairii in Monte Libano, & Angli Ro-
 mæ Collegia erexissent, summus Pon-
 tifex Melchitis Ecclesiae ad S. Mariam
 in Dominica possessionem, & Regulas
 tam pro his quam illis conditas die
 decima quarta & vigesima octava Se-
 ptembris confirmavit.

Insuper Pontifex die vigesima tertia
 Novembri declaravit, quod Tertiarii
 quorumvis Ordinum Regularium Tertio
 Ordini Carmelitano adscripti, indul-
 gentiis & gratiis spiritualibus promi-
 scue uti valeant: die autem decima ter-
 tia Octobris, cum Superiores Seminarii
 Missionum exponerent, Episcopum in
 Indiis Orientalibus summopere esse ne-
 cessarium, Pontifex Joachimum Eber-
 hardum de Michlinia per speciale
 Breve Yancheu in Sinis Episcopum
 nominavit.

§. XXXIX.